


Pl. 5484

II u  
334

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS  
DE

MIRA NATVRAE SOLERTIA  
IN REPARANDIS DAMNIS  
CORPORI ANIMATO ILLATIS.



Q V A M

PRAESIDE

DANIELE WILHELMO  
TRILLERO

PHILOS. ET MED. D. CONSILIARIO AVL. ELECT.  
MEDICINAE PROFESS. PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.  
SCIENTIAR. BONONIENSIS SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETRANDO

D. XVII. MART. A. R. S. CIDI CCCLXVI.  
H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT

CHRISTIANVS DAVIDES ZOPFIYS

WVRCENENSIS  
MEDICINAE CANDIDATVS.



WITTEBERGAE,

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.











Q. D. B. V.



§. I.

Quod de statis anni temporibus, ac consuetis coeli conuersionibus, eleganter quondam dixit Horatius <sup>a)</sup>)

*Damna tamen celerès reparant coelestia lunae.*

Id ipsum sane potiore iure sensuque magis proprio, de vniuersa rerum creatarum, et corporum praesertim viuentium natura, affirmandum esse, nemo forsan, vt arbitror, nisi in physicis medicisque disciplinis plane fuerit hospes, inficiabitur.

§. II.

Tanta enim vtrique est providae naturae, sospitaticis, vigilantia, tamque indefessa industria, vt omnia perquam solite circumspiciat, ne corpus animatum, cui praest, detrimenti quid capiat: quod si autem aut fortuito casu, aut vi illata, aut denique morbo immisso, illius quid ceperit; vt quanto-

a) Od. VII. Lib. IV.



cius, remotis illis impedimentis ac periculis, in integrum restituatur; quantum nempe ipsius vires, ab ipso summo creatore certis limitibus circumscriptae, permiserint.

### §. III.

Inde recte olim in hunc sensum pronunciauit ipse noster Hippocrates <sup>b)</sup> Νέσων Φύσις ἰητροί, *morborum medicatrices sunt ipsae naturae*, et mox ibidem: ἀπαίδευτος ἡ Φύσις ἐστὶ καὶ ἐμαρῆσα, τὰ δέοντα ποιεῖ, *non edocta natura, nec vlllo magistro vsa, ea tamen facit, quae conuenientia sunt, et quibus opus est*: vbi videndus est in Comment. Galenus, praefertim autem in libris istis plane aureis, *de vsu partium*. Ex ipso autem Hippocratis fonte vberrimo ista hausit Demetrius Pepagomenus <sup>c)</sup>: ἡ Φύσις ἀλογος, ἔσα, τὰ κατὰ λόγον ποιεῖ; *natura ratione fere carens, facit tamen sua opera secundum rationem*. Inde alibi apud ipsum Hippocratem, vocatur ἀδιδάκτος, ἀποδιδάκτος, ἀτομαθής, ἀτομάτι, ἀυτότεχνος, ἀτοκίητος, ἀτοξύνετος, et similia, ab aliis etiam, vt Aristotele, Andronico Rhodio, Plotino, Alcinoo, Plutarcho, Marco Antonino, Lib. VIII. p. 240. vbi vid. Gataker, et reliquis, πάντεχνος, πανεπισήμων, μνησίτεχνος, πολυδαίδαλος, et πανάσιος, <sup>d)</sup>, de quibus autem diuersis attributis et elogiis, non nihil inter se, vt primum quidem videtur, pugnantibus, quomodo ista rectius intelligenda, explicanda, comparanda atque inter se se apte sint concilianda, iam olim data opera, paulo diligentius tractatum fuit <sup>e)</sup>. Quorsum et denique, vel maxime spectat

eximius

<sup>b)</sup> Lib. VI. Epidem. Sect. V. pag. 809. conf. *Apol. Hippocrat. III. Praef. pag. 84. et Peir. ad Aretaeum pag. 238. item ill. van Swieten, Comment. Tom. I. p. 4.*

<sup>c)</sup> Libr. de Podagra, Cap. I. pag. 8. Edit. Clar. Bernard.

<sup>d)</sup> vid. Graevii *Lect. Hesiod. cap. XLIX. pag. 90.*

<sup>e)</sup> In citata *Praef. Apol. pro Hippocr. Atheismi falso accusato, scripta, pag. 17 seq. 25. seq. et inprimis, pag. 84. seq.*



eximius iste *Palladii* <sup>f</sup>) locus: ἡ προνοητικὴ Φύσις ἔνδον ἔσται, ὡς περ  
 ἰατρὸς αἰγυθὸς, προνοημένη τῷ σώματι, ἐπινοεῖ τὸν πυρετὸν, κ. τ. λ.,  
*provida natura; intus quum sit, veluti optimus medicus, pro-*  
*uidens corpori; excogitat febrem* etc., vnde simul patet, vt  
 id obiter hic, data commoda occasione, adiciam, *Stahlianum*  
 in sua sic dicta *noua febrium theoria*, nihil quidquam noui  
 protulisse; quod et ex multis alijs veterum medicorum locis,  
 item ex *Campanellae*, *Helmontii*, imo *Sydenhami*, et alio-  
 rum scriptis liquidissime demonstrari possit; si de hoc quidem  
 controuerso admodum argumento, hic proprie vberius tra-  
 ctandi locus esset <sup>g</sup>). Quare hoc tantum veluti in transitu.

#### §. IV.

Ex hac igitur caussa, vt pergamus, haec ipsa natura de-  
 plet superflua, replet deficientia, et supplet denique ac resar-  
 cit damna corpori quondam illata: quoniam ipsa nempe est  
 iustissimae semper mensurae et aequissimi ordinis obseruantissi-  
 ma mater et radiosissima sectatrix, unde vere et acute plus se-  
 mel hoc sensu, mathematico nempe, geometrico aut mechani-  
 co denique magis, quam civili aut politico, ab *Hippocrate* no-  
 stro <sup>h</sup>) vocatur *δίκαιη* et *δικαιοτάτη*, h. e. *iustissima*, seu *aptissi-*  
*ma*, *accommodatissima*, et *iustae symmetriae tenacissima*,  
 prout hic ipse vocis huius ambiguae sensus liquidissime, ipsi  
*Hippocrati* vindicatus fuit quondam <sup>i</sup>). Quam ipsam provi-  
 dam ac sollicitam ipsius naturae curam in conseruando et cu-

A 3

stodien-

<sup>f</sup>) Lib. de Febr. cap. XXVI. pag. 86. vbi vid. in Not. Clar. Bernard. et ad Cap.  
 XXIII. pag. 80. Conf. Petr. Petit. Comment. ad Aeraeum, pag. 147.

<sup>g</sup>) Intem vid. si placet, *Barbuseri Hist. Med. Dial. XIX.* pag. 605. sep. vt plu-  
 res alios aduersarios iam taceam, a *Goerzio* diligenter collectos et allegatos.

<sup>h</sup>) Scil. Libr. de *Fraeturis, Articulis*, et alibi, vid. *Erotiani, Galeni, Hesychij* et *Sui-  
 dae Glossaria* it. *Festii Oeconomiam*, et alios.

<sup>i</sup>) In supra citata *Apologia* contra falso imputatum Hippocrati Aethicismum, pag.  
 40. seq.





stodiendo corpore, perpetuam validis quidem argumentis luculentisque exemplis quam plurimis, vberius omnino probare facile hic possemus; si nempe necessitas nobis imposta magnopere vrgeret; hinc ex iis pauca tantum sequentia, sed selectiora, et primum quidem de animalibus, producere iam placet, lectoribus, vt spes quidem est, veluti gustus gratia, suffectura.

#### §. V.

Sic igitur ramosa vivacis cornua cervi stans vernantis anni temporibus, decidua esse constat, assurgentibus subinde novis, teneris ac molli plumata lanugine conuestitis tuberibus, in pristinam ossicam duritiem sensim solidescens. Ita pariter gelidi serpentes, renato egelidis teporibus, vere, rugosam aridamque senectutem suam exuunt, et noua vernatione, laevam floridamque iuuentam contra induunt, speciosa pelle decori, et squallentibus annis liberi, reddito vigore, laetis herbis minaces interuient, vt *Papinius Staius* eleganter loquitur. Similem fere in modum, aereis etiam volucris, singulis annis, pictae pennae desluunt, novaeque nitidiores iucundo spectaculo, refflorescunt.

#### §. VI.

Retrogradis quoque cancris seu gammaris, non solum sua testacea operimenta, seu crustacei thoraces, quotannis excidunt, novis mollioribus vestimentis, quasi in amissorum locum, laete succedentibus; sed et insuper, quod tanto magis iure mirandum, ipsa adeo bina eorum brachia, denticularis forcipibus, seu forcibus, armata, chelae vulgo dictae, siue resecta fuerint, siue abrupta, siue denique alio violento casu deperdita, sua sponte, sensim regnuntur, adeo, vt in vno eodemque cancro, chelam vnam grandem, latam ac perfectam, alteram autem exiguam, exilem et modo quasi inchoatam simul depre-



deprehendere liceat, vt cuius nempe notissimum: de quo singulari naturae solertis miraculo, inprimis videndus diligentissimus *Sachsus*, in *Gammarologia*<sup>k)</sup>, praesertim autem nostrae quidem aetatis, perspicacissimus rerum naturalium indagator, *Reaumurius*<sup>l)</sup> et ex eo illustr. lib. *Bar. van Swieten*,<sup>m)</sup> quibus potissimum audendae singulares, hanc in stupendam naturae fecunditatem, obseruationes, item experimenta in cancris maioribus, marinis, saepius iterata *Petri Collinsonii* et *Benjam. Coot*,<sup>n)</sup> vt et ex nostratibus, *Roeselii*,<sup>o)</sup>, ex quibus evidentissime apparet, portentosam hanc chelarum amissarum redintegrationem a nonnullis eruditorum frustra olim ad meras aniles fabulas et rudis plebeculae deliramenta fuisse relatum et immerito derisam.

### §. VII.

Pari fere modo, polypis *πολυτρόποις*, piscibus istis rapacibus ac tenacibus, in prouerbia quoque translatis, ceu notum, renasci saepe corrota a Congris brachiorum flagella, seu cirros post ipsum *Aristotelem*<sup>p)</sup> refert *Plinius*<sup>q)</sup> et *Oppianus*<sup>r)</sup> cum aliis: nec recentiores naturae scrutatores id negare audent. Colotis etiam ac lacertis, item serpentibus et lumbricis, caudas abscissas, aliove modo amissas, singulari naturae beneficio, sensim redire, obseruarunt iidem auctores veteres, item recentiores, vt *Olaus Magnus*, *Majolus*, *Aldrovandus* et alii,

k) Lib. I. cap. 21. pag. 471. seq. et cap. 20. pag. 453. seq. vbi de crustae Gammarorum depositione.

l) In Memor. Acad. Scient. Paris. Anno 1712. pag. 296. seq.

m) In *Comment.* in *Aphor.* Boerhaav. T. I. pag. 310.

n) In *Transact. Angl.* et in sic dicto *Penar. Hamb.* Vol. II. P. IV. Sect. VIII. pag. 478. seq.

o) In splendido Opere de *variis insectis.*

p) Lib. VIII. *Hist. Anim.* cap. 4. pag. 871.

q) Lib. IX. cap. 29. ibique *Harduin.* in *Not.* pag. 516. T. I.

r) Lib. II. *Halkent.* 246. vbi vid. in *Comm. Rittersbus.* p. 238. seq. copiose.



alii, r). Imo ipsa eorum corpora recens in partes dissecta sibi-  
que mox propius admota, rursus, illaesa vita, coalescere et ar-  
ctius uniri, adnotavit cura aliis, *Camerarius* s). Quin etiam,  
quod magis mirum, ipsos serpentes amissam casu linguam re-  
cuperare, tradidit *Oswald. Crollius* ss). Sed omitto plura.

§. VIII.

Ecquis vero hac nostra inprimis tempestate, nescit ingens  
illud et stupendum plane naturae polydaedala miraculum in  
polypis, vermibus, ut plurimum aquatilibus, conspicuum, tot  
iam egregiis scriptis, et praesertim *Henr. Bakeri*, viri prae-  
stantissimi, *naturali polyporum historia*, solidissime scripta,  
tantopere, summo quidem iure, celebratum? ut ipsum *Reau-  
murium*, *Folkes*, *Trembley*, et ex nostratibus, *Roesselium* iam  
supra laudavimus, et alios clarissimos viros iam taceam, quo-  
rum curiosissimae circa polyporum illorum polybiorum pa-  
lingenesiam et subitam resurrectionem, observationes, in *angli-  
canis* potissimum *transactionibus* summa cum admiratione  
leguntur t). Quis ergo hodie, inquam, ignorat aeternam  
quasi illam polyporum sine prole gentem, quae ferae suae po-  
steritati viva semper interest? quae, inexhausta veluti foe-  
cunditate, toties se ipsam regenerat, quoties propius admota  
horridi lethi vis exitium, tanquam periturae, minatur? quae  
per innumeras quasi mortes reuiuiscit, atque per damna, per  
caedes, ab ipso adacto ferro opes animumque ducit: Animal!  
tot vitarum animarumque capax, in quot particulas minutif-  
simas

r) Apud *Sachs*. Lib. I. *Gammarolog.* cap. 21. pag. 472. vbi in seq. plura, quae huc  
ipestant.

s) *Memorabil. Med.* Cent. IX. Sect. 22. pag. 657. T. I.

ss) *Lib. de Signat. Rerum*, pag. 96. cf. *Sachs*. l. c. pag. 476.

t) Vid. huc inprimis *Bibliothec. Britann.* de anno 1744. T. XXII. part. I. pag. 159.  
seq. et pag. 177. seq. vbi et ipsorum polyporum diuersae figurae nitide ex-  
pressae. vid. et eiusd. *Bibl.* T. XX. P. II. pag. 187. seq. et T. XXI. pag. 350. seq.



simasque atomos ipsius' quidem corpusculum diffecari et separari potest; vbi nempe

*primo' auulso, non deficit alter  
Filius, et simili succrescit corpore vermis.*

§. IX.

Sed haec quidem breuiter, de animalibus. Veruntamen vel in ipsorum humanorum corporum damnis apte reconcin-  
nandis, non minus sedulam opiferamque auxiliatricem esse ipsam naturam; permultis quoque exemplis experimentisque admodum luculentis et prorsus admirandis, vbiuis affatim constat: ex quibus pauca tantum eaque potiora, amico breuitatis studio, hic delibare placet.

§. X.

Ita nimirum resectos pilos vnguesque mox sua sponte renasci, cuius notissimum. At rescissis digitorum apicibus, in secundo tamen, imo tertio eorum internodio, eosdem vngues ab officiosa natura restitutos fuisse, tanto magis mirum; quod tamen stupentes, quondam viderunt bini isti Medici graues et eleganter docti, *Tulpius* nempe <sup>u)</sup> atque *Pechlinus* <sup>w)</sup> qui et ibidem, mirandum plane exemplum de integra cuticula, ad instar vernantium serpentum, quotannis exuta, et denuo renata, refert; quale quid etiam de ipsius capitis cute a furente virso detracta, et a benigna natura denuo reddita, memoriae prodidit *Petrus de Marchettis* <sup>x)</sup>. Sic et omnem fere lateris carnem, ictu tormenti bellici, ablatam, et ab eadem sollicita natura restitutam descripsit *Thom. Bartholinus*, <sup>y)</sup> vt et scrotum,

<sup>u)</sup> Lib. IV. *Obs. med.* cap. 56. pag. 370.

<sup>w)</sup> *Obs. med.* 42. Lib. II. pag. 315 seq.

<sup>x)</sup> *Obs. rar.* XVI. pag. 33. conf. *Sachsii Append. Gammarol.* pag. 903.

<sup>y)</sup> *Hist. anat. rar.* 59. Cent. VI. pag. 295.



scrotum, a foeda luis venereae labe penitus absumtum, putridumque factum; postea vero sua sponte pulchre renatum, et ad ipsos testes haecenus nudos, rursus blande inuoluendos ac profanis visibus subducendos, peropportune productum<sup>2)</sup>: quale mirandum exemplum quondam etiam obseruauit *Cl. Praeses* Argentorati, in Nofodochio. Pariter omoplatas cum tota dorsi carne, saeua machinae bellicae violentia, vsque ad ossa ablatas, singulari prouidae naturae beneficio, regeneratas vidit *Borellus*<sup>a)</sup>

### §. XI.

Porro aqueum ipsius oculi humorem, aut inflicto vulnere, aut alio casu effusum, sensim per se reparari, post ipsum *Celsum*<sup>b)</sup> ac *Galenum*<sup>c)</sup> a multis obseruatum fuit medicis praestantissimis, vt *Marcello Donato*<sup>d)</sup> *Laurentio*<sup>e)</sup> *Hildano*<sup>f)</sup> *Riolano*<sup>g)</sup> *Platero*<sup>h)</sup> alisque pluribus, magna copia laudatis hanc in rem a *Sachsio*<sup>i)</sup> et *Io. Rhodio*<sup>k)</sup> qui ipse tale exemplum in duodecim annorum puero annotauit: quibus potissimum addendae sunt eximiae illae hoc in singulare naturae miraculum obseruationes celeb. *Olai Borrichii*<sup>l)</sup> et magni *Thom. Bartholini*<sup>m)</sup> item *Plempii*, et *Briggs*<sup>n)</sup> nec non *Diemer-*

2) Ibidem *Hist.* 69. eiusdem Cent. pag. 320.

a) *Obs. med.* 20. Cent. III. pag. 213.

b) Lib. VI. cap. 6. §. 39.

c) Lib. I. de *Symp. caussis* cap. 2.

d) Lib. V. *Med. Hist.* c. 4. p. 567.

e) Lib. IV. *Anat.* cap. 16.

f) *Obs. chir.* 26. Cent. I. p. 94. seq.

g) *Enchir. Anat.* L. X. C. 3.

h) *Prax. med.* T. I. p. 258.

i) Lib. I. *Grammar.* c. 21. p. 473.

k) *Obs. med.* 82. Cent. I. pag. 53.

l) *Act. med.* Hafn. Vol. I. Obs. 69. pag. 151. seq.

m) Ibid. *Obs.* 132. pag. 262. seq.

n) Vterque in *Ophthalmographia.*



*Diemberbroeckii* o) et recentiorum nostrae aetatis ophthalmia-  
trorum, *Heisteri*, *Antonii*, de *Saint Yves*, *Rathblaww*, et  
aliorum.

§. XII.

Dentes quoque edentulis vetulis, decrepitisque viris, in  
summa senectute, denuo bis, aut ter, regeneratos esse, saepe  
memoriae proditum est. Ita *Zanclen Samothracenum civem*,  
*cui renati essent dentes post centum et quatuor annos, ipsum*  
*Mutianum vidisse et in commentarios retulisse*, annotavit  
*Plinius* p). Sed similia plura exempla diligenter collegerunt  
*Io. Schenckius* q), *Marcellus Donatus* r), *Ambros. Paraeus* s)  
*Borellus* t), *Sebizius* u), *Sennertus* noster v) quo merito glo-  
riamur, aliique plures, copiose laudati a *Rhodio* w), *Sachsio* x)  
aliisque passim: res enim nota.

§. XIII.

Sed parva loquimur; longe maiora enim iam adhuc di-  
cenda sunt, nisi forte rectius reticenda, quoniam adeo vsque  
portentosa videntur, vt omnem paene fidem excedant. Quis  
enim obsecro, facile crediderit, ipsam quoque linguam morbo  
penitus deperditam, singulari praepotentis naturae beneficio,  
denuo integram reparari potuisse? et tamen eiusmodi linguam  
a dira variolarum lue vsque ad radicem, prorsus absumentam ac  
frustatam eiectam, postea vero sensim sua sponte renatam, in

B 2

puero

- o) Lib. III. *Anat.* cap. 17. pag. 409.
- p) Lib. XI. c. 37. ibique *Harduin.* p. 622. T. I. Opp.
- q) *Obs. med.* 408. L. I. pag. 305. T. I.
- r) *Hist. med.* Lib. VI. cap. 2.
- s) *Chirurg.* Lib. XXIV. cap. 19.
- t) *Obs. med.* 81. Cent. II. pag. 176.
- u) *Disput. de Dentibus* II. §. 94.
- v) *Prax. med.* Lib. II. Part. I. cap. 10.
- w) *Obs. med.* 94. Cent. I. pag. 62 seq.
- x) *Grammar.* Lib. I. cap. 21. pag. 475. vbi plura.





puero septem circiter annorum, ipse attente vidit et candide descripsit *Iac. Horstius*, Medicus olim celeberrimus, et magnae auctoritatis ac fidei <sup>1)</sup>), qui nempe infelicissimum istum puerum mutilum ac mutum, prius miseratus, paulo post vero eundem rursus felicissimum, loquentem scil. deumque cum laetissimis parentibus, merito laudantem miratus est, quod diuino veluti miraculo, ἀγλωστος subito factus esset ἔυγλωστος. Quam ipsam historiam rarissimam et stupendo miraculo proximam inde etiam summo iure, doctissimae suae *memorabilium medicinae Syllogae* inseruit *Io. Rudolph. Camerarius* <sup>2)</sup>).

#### §. XIV.

Grande denique foret omnino nefas, hic quoque, tam opportune, non meminisse simul, noui illius Promethei, ac curatorum curatoris et reparatoris, olim celeberrimi, *Casparis* nempe *Taliacotii*, qui per naturam ipsam, arte sua ingeniose audaci adiutam, partes narium, aurium et labiorum, inhonesto vulnere truncas, sic, plus semel, felicissime restituisse, narratur: pluribus quidem chirurgis, quos inter ipse noster *Heisterus*, faustum istius artificii successum negantibus; multis tamen etiam auctoribus grauissimis et testibus oculatis, veluti *Hildano* <sup>a)</sup>), *Faloppio* <sup>b)</sup>), *Paraeo* <sup>c)</sup>), *Fieno* <sup>d)</sup>), *Valentino* <sup>e)</sup>), et aliis, contra affirmantibus, ad quos inde merito prouocant *Stollus* <sup>f)</sup>), *Sachsus* <sup>g)</sup>), *Kestnerus* <sup>h)</sup>) et alii, quibus splendissima auctoritate ingens omnino pondus adiiciunt experientissimus

<sup>1)</sup> *Comment. in Hippocr. Lib. περί κатарών.*

<sup>2)</sup> *Cent. VI. Sect. XXXIX. pag. 373 seq. T. I. add. et Sachs. l. c. pag. 476.*

<sup>a)</sup> *Obs. Chirurg. 31. Cent. III. pag. 150 seq. et Epist. 64.*

<sup>b)</sup> *de Decorat. cap. XI.*

<sup>c)</sup> *Chirurg. lib. XXIII. cap. 2. pag. 574.*

<sup>d)</sup> *Lib. XII. Chirurg. c. 1. et 2. p. 100.*

<sup>e)</sup> *Chirurg. med. pag. 74.*

<sup>f)</sup> *Hist. med. Part. II. cap. 3. pag. 837 seq.*

<sup>g)</sup> *Gamma. loc. cit. pag. 474.*

<sup>h)</sup> *Bibl. med. T. II. cap. 8. pag. 688.*



tissimus *Garengoot*<sup>i)</sup> et perillustri *Liber Baro van Swieten*<sup>k)</sup>. Praefertim, quum iam olim de hac ipsa curtorum chirurgia, veteribus medicis, vt *Galeno*<sup>l)</sup>, *Paul. Aeginetae*<sup>m)</sup>, *Corn. Celso*<sup>n)</sup> aliisque, quidquam suboluisset, ipse diligenter docuerit *Taliacotius*<sup>o)</sup>.

§. XV.

Sed de his haecenus! quibus quidem longe adhuc plura, quae in promptu sunt, certe non minus notatu digna, commode hic adiungi possent; nisi temporis spatiique ratio potius habenda esset. Haec autem cuncta, huc vsque in medium allata, aliorum potissimum nituntur fide atque industria, non quidem sublesta, aut dubia; at interim tamen aliena. Quae vero nunc proxime sequentur, bina ista miranda prorsus exempla, singularem illam semperque indefessam ipsius prouidae naturae solertiam in reparandis, praesertim ossium, damnis et iacturis, liquidissime declaratura, ipsius potius *Domini Praesidis* fidei, et quidem praesenti et oculatae, debentur, vt inde, isti quidem maximi momenti veritati luculentius probandae, non exiguum forte pondus adiectura videantur.

i) *Operat. Chirurg.* T. III. pag. 55.

k) T. I. *Comment. in Aph. Boerhaav.* pag. 306.

l) Lib. XIV. de *Method. med.* cap. 16. et 18.

m) Lib. VI. cap. 26.

n) Lib. VII. cap. 9. pag. 440.

o) *Chirurg. Curror. nou.* Lib. I. cap. 19. pag. 203 seq.






---

## HISTORIA PRIMA.

### §. I.

**A**nno igitur c19 10 cc xxx. *Argentorati*, in Valetudinario maiori, attonitus paene, conspexit militem veteranum, prouectae iamiam aetatis, annorum videlicet LV., qui quondam, in castris martiis, maiore forsan cum gloria militauerat, quam quidem venereis, ex quibus quippe pessime mulctatus euaserat, neque ipsa vasa satis salua retulerat; sed vlcera potius foeda membrorum scabie putrefacta: haud bene relictis, nempe in sordida illa palaestra, nasi palatque ossibus, foedissima immundae veneris labe, terribili plane visu forma, ambesit ac sensim eiectis.

### §. II.

At longe tamen insignius oris dehonestamentum spectantibus praebuit ipsa miserrimi frons, cuius nempe honori crudelissima illa labe nihil quidquam pepercerat; quin potius eam adeo vsque exederat, vt absumto ipso illo alias duro, offe frontali, per turpissimum hiatum oui fere magnitudinem spatioso suo ambitu adaequantem, ipsa illa sacra et humanis visibus negata animae interioris sedes, cerebrum nempe, suis membranis intectum, profanis nunc quasi oculis liberius patefceret, palpitansque per interualla, et leuiter motitatum, ad accessum inprimis subito irruentis aeris, cum maximo adstantium stupore, conspiceretur, et hinc apte satis illud poetae locum hic haberet.

*Nulla viro species, decorisque et frontis egenum  
Corpus.*

Adeo,



Adeo, ut hinc omnes merito in summam admirationem abriperentur, quo scilicet modo, inhumatum hoc quasi, et male viuum cadauer spiritum tam tenui limine haerentem, et iam sua sponte emigraturum, in hoc vsque tempus, aegre prolatare potuisset. Ceterum par fere huic exemplum de verula quadam simili edaci sincipitis frontisque carie miserrime affecta, rerulit nuperrime *Ill. Morgagnus*, in splendidissimo opere nouo <sup>p)</sup> vbi et aliam non dissimilem historiam ex *Faloppio* <sup>q)</sup> addidit: conf. huc etiam *Spindleri Obs. med. I.* ibique in primis adiecta *Raygeri Scholia*, item *Helwigii Obs. Med. 18. pag. 54. seq.* ibique subiuncta ipsius *Scholia* et obseruationes ut et *Borelli Obs. med. 18. Cent. II. pag. 118.* Praesertim autem huc spectat memorabilis illa *Idonis Wolfii Obseruatio Chirurgica XI. Lib. I. pag. 42 seq. de maiore ossis frontis parte post grauissimam vulnerationem, ablata, et in eius locum succrescente callo*, dignissima omnino, quae diligenter huc conferatur et prudenter expendatur.

### §. III.

Licet igitur hic omnia iam quidem deplorata et conclamata viderentur, quoniam dirum illud Virus venereum per omne vbique corpus late diffusum, mali velocitate plurimum anteibat remedia, quantumuis generosissima; tentare tamen nihilo minus visum fuit solertioribus Medicis atque Chirurgis, si quid adhuc praesidii vel in Natura ipsa, vel in arte salutari superesset, quo Vitium illud imis medullis, et vniuersae praesertim pinguedini penitus infusum, quasi excoqueretur, inutilisque humor funditus exsudaret.

### §. IV.

p) De Sedibus et causis morbor. per Anar. indagatis T. II. Lib. IV. Epist. 58. pag. 368.

q) Tract. de Vlcerebus cap. XLVII.





## §. IV.

Quod saluberrimum consilium quum per varios foros, vapores, suffitus, balnea, fricciones, sudationes, potionesque inprimis corruptum sanguinem repurgaturas, e Radicibus Chinae, Sassa-parillae, et Ligno Sancto atque Sassafras, aliisque eiusdem Virtutis remediis paratas, plurimum profecisset; potissimum autem per vberri-mos saluae large fluentis riuos, penetrantissimi argenti viui ministerio, apertos et excitatos, eousque, vel supra vota, successisset; id tandem eo ipso effectum fuit, vt omnis illa corporea pestis teterrima radicitus excederet, concreta diu labes emundato iam corpore, eximeretur, certiorque aliqua salutis, hucusque ambiguae, spes laetissime afflueret.

## §. V.

Namque effoetus ille hactenus, atque aetate morboque iuxta fessus Miles, Aesonis cuiusdam rediuiui ad instar, quasi recoctus, repubescere sensim coepit, atque nouam veluti viridemque carnem induisse visus est, sordidis nempe, omnia late depascentibus atque inhonestis vlceribus nunc sua sponte exsiccatis et perfanatis, quae antea et vniuersum ipsius corpus, et obscoena potissimum inguina immunda illuue deturpauerant.

## §. VI.

Quin etiam singulari Naturae creatricis prouidentia id demum procuratum fuit, quod sane ingenti miraculo proximum videtur, et fidem paene superat, vt teterrimus ille frontis carie exesae hiatus cartilagineo, aut calloso quasi velo, fere ad instar duplicatae membranae pergamenae, crasso, lateque oppanso, concinne circumuestiretur et apte obduceretur, vt tenfi propemodum tympani faciem repraesentaret. Huc autem vel maxime referenda simillima paene *Idonis Wolfii observatio chirurgica XII.* iam supra laudata, *de maiore ossis Frontis parte ablata, et Callo in eius locum, succrescente.*

## §. VII.



## §. VII.

Exinde igitur optime et athleticè per aliquot adhuc annos, valuit Miles ille, ab inferis quasi resuscitatus; donec et senio, et febre lenta confectus, fatis tandem cederet: post quæ, exentum illud frigido cadauere mirabile frontis os, de-  
novo veluti renatum, Viri cuiusdam Celeberrimi Musæum, complurium eiusmodi insolitorum Naturæ miraculorum iam feracissimo, merito illatum fuit, vbi cum summo visentium et contrectantium stupore, vel in hunc vsque diem, quantum equidem memini, adseruatur.

Sed nunc, ordine nempe naturali, a capite descendamus ad pedes, consimile ibi attente visuri naturæ miraculum, in reparanda amissa tibia, strenue feliciterque occupatae.

---

 HISTORIA SECVNDA.

## §. I.

**Q**uidam principis Nassoy. aerario præfectus, qui quondam sub gloriosissimis diui nunc Imperatoris Caroli VI. auspiciis, tanquam Centurio, in Hispania, haud inglorius, militauerat, vulneraque plura non indecora, aduerso corpore, acceperat, Vir præsentis et intrepidi animi, præualidi corporis, augustæ staturæ et ingenii feruidi viuicide; is inquam, ex improviso, in tam faeuam calamitatem incidit, vt, cum recens conscripto milite, ad ipsius copias properaturus, in via ipsa, igne sacro, siue erysipelate, in dextro quidem crure, subito corripereur.

## C

## §. II.



## §. II.

Quum igitur nec negotium istud, cito expediendum, vllam lenitudinem sustineret, nec ipse suapte natura, longae morae patiens esset; arcessito mox chirurgo castrensi serio imperabat, vt sibi subitam medelam adferret, quo coeptum semel iter sine vlla cunctatione, properare posset. Qui, quum, more istius gentis, imminentiū periculorum ignarus, praepostero obsequio obremperasset, variaque hinc humida frigidaque epithemata cruri feruido rubore correpto, repetitis saepius vicibus, imposuisset; id tandem temerario suo auso, et insipienti sapientia effecit, vt aestum quidem dolorisque acris sensum aboleret; sed simul eo ipso, Vitam quoque partis laesae ipsam adimeret, gangraenamque atque sphacelum paene letalem, detestabili et poenitendo lucro, induceret. Qualia perquam funesta exempla plura de erysipelate similem in modum, male et imperite tractato, etiam occurrunt, apud *Schellhammer* de *Natura*, part. II. cap. VII. pag. 302. *Fabric. Hildan. obs. Chirurg.* 82. Cent. I. pag. 225. *Rivin. diss. de Morbo retrogrado*, pag. 742. Syllog. alibique passim, item in ipsius Dn. *Praesidis* Dissertat. de *Veritate paradoxi Hippocrat.* etc. §. VIII. pag. 9. vbi et haec ipsa nostra Historia paucis enarrata legiur.

## §. III.

Quod quum ab ipso aegrotō, Vitae salutisque suae nunc curiosiore, statim deprehensum esset; confestim alios Medicos Chirurgosque, hoc ipso peritiores, acciri iubet. Qui ab undique aduolantes, remque plane conclamatam attoniti pallidique, spectantes, tristem ipsi decretoriamque sententiam vnanimi suffragio, moesti denunciant, nimirum in solo nunc ferro  
ipfius



ipſius ſupremam ſalutem ſtare, hincque aut citiſſime amputandum eſſe id ipſum crus, iam ſphacelo corruptum, letalique frigore praemortuum, ſi diutius adhuc viuere velit; aut ferro intactum relinquendum, ſi citius mortem oppetere malit.

§. IV.

Vitae ergo diuturnioris magis cupidus, quam mortis, praefertim tam ignauae, et animam illaudatam tacite erepturae, infausto hoc nuntio nihil prorsus exterritus, nec duris cedere fuetus; quin potius indigniſſimum caſum ſapienter tolerans, ferrum oblatum intrepide ſibi expoſcit, in ſubitam nempe atrocis mali, nullius iam dilacionis amplius patientis, medelam. Quod quum interea allatum, irretortis ficcisque plane oculis, attente ſpectaſſet, eiusque aciem ipſe admoto reſecto vngue, ſolicite pertentaſſet, quaſi nempe non ſuum, ſed alienum potius, negotium curaret; nihil aduerſus praefentem aſperam fortunam mollitus, et inter tot gemitus aliorum, immobilis, ſpectantique tantum ſimilis, Crus illud ſuum, iam Corpus deſerturum, fortiter praebuit reſcindendum.

§. V.

Interea autem, dum feralis ille apparatus omnis curatius explicatur, dum ligamenta neceſſaria, eaque Remedia, quibus ſiſtitur prorumpentis ſanguinis impetus, aliaque arduo huic negotio profutura parantur, et comportantur; meliore tunc facto, forte ſuperueniens Chirurgus quidam Veteranus, retortidus, longoque artis, per aetatem, uſu probe exercitus, ſtriſtum iam in amputationem, ferrum admoturis remoram iniicit, monetque ſenſu quidem incomto; ſed valido et vero, facilius quidem Crura amputari poſſe, quam reparari, ceu ipſe





probe iam agnouit *Galenus*, Lib. IV. *de Method. Med.* cap. 4. p. 87. Tom. X. item *Themistius*, *Orat.* I. p. 14. et *Orat.* VII. p. 94. ideoque nihil hic iusto properantius agendum, quod aliquando, re praefestine peracta, et irreparabili damno admissa, poenitere frustra possit: quin potius probe et sollicitè circumspiciendum, num quid in Arte Chirurgica adhuc praesidii sit repositum, quo praemortuus iam vitalis vigor reddi feliciter queat cruri isti exitio suo, immo funerationi suae iamiam destinatio. Quo fere modo adornatam iam amputationem etiam inhibuit, crusque mox periturum sua arte seruauit *Petrus Matth. Rossius*, *Observat. Chirurg.* I. pag. 94 seqq.

#### §. VI.

Pernegantibus igitur indignantibusque licet cunctis praesentibus; ille tamen instituti perucax atque interritus, membrum ipsum sollicitè contrectat pertentatque, et impressa altius scalpellae acie, ductisque inde per carnem putrem iam et cadauerosam, profundioribus in longum latumque, sulcis, tam ex leui ipsius contacti cruris motu, quam ex ipsa quoque aegroti spem inter metumque ancipitis, querula confessione, laetus tandem comperit, nondum omnem partis affectae sensum prorsus intermortuum esse, hincque nihil adhuc desperandum, aut dubitandum, quin elapsum illud in prauum crus, si salutaris vis adhibeatur, integrari, nouaque quasi Vita redire aliquando possit membro isti, pro mortuo quidem omnique vitali sensu vacuo, ab omnibus hucusque, sed frustra, habito.

#### §. VII.



## §. VII.

Mox ergo sine mora, salutaria epithemata ex diuersis herbis ac radicibus amaris acrisque, vt Absinthio, Centaureo minore, Carduobenedicto, Scordio, Ruta, Marrubio, Saluia, Alliaria, Gentiana, similibusque putredini fortiter resistentibus medicamentis, vino atque aceto, cum Sale Ammoniaco, potissimum incoctis, postque expressis, parata, indefesso studio, applicat nouus illae nouae quasi vitae haud vanus promissor: quibus per noctes atque dies, sine vlla intermissione, frequentissime frigido cruri praeferuide impositis, id demum per dei gratiam, mirantibus cunctis, effectum fuit, vt partes carnis putridae in foedum iam tabum resolutae, sensim sua sponte exciderent, atque a sano sinceroque adhuc corpore abscederent. Simul tamen graui animi aegritudine obseruatum fuit, ipsum denudatae Tibiae os nigra olidaque carie iamiam esse peresum, proximeque hinc, nisi sese ipsum a sano adhuc corpore dissociaret, ad maius nempe atrociusque malum, quod iure metuendum esset, praecauendum, immixtis instrumentis, isti quidem negotio aptis, fore eximendum.

## §. VIII.

Sed anxia ista solitudine exsoluit demum ancipitem metu chirurgum mira ipsius Naturae opiferae solertia: paucis enim post, diebus, non expectato minaci ferro, sua sponte, excidit os illud Tibiae cariosum, ad quatuor fere pollices transuersos, quod vtiq; mirum, longum, quasi singulari arte studioque resectum aut extractum esset. Quod ipse Dn. Praeses saepius longo post tempore, mirabundus vidit et contrestauit. Exinde enim semper fere secum circumfererebat iste Centurio disiunctam hanc sui partem osseam, ceu manifestum perfuncti feliciter le-





ralis periculi, et praesentissimi diuini auxilii documentum, quod ipse cum gratissima et viuacissima summi accepti beneficii recordatione, toties laetus monstrabat, quoties id commode supeditata occasio passim tulisset.

§. IX.

Futuri igitur euentus dubii metuentioribus cunctis praesentibus, et ipso praesertim chirurgo admodum sollicito, quo tantem euasurum esset ambiguum illud Naturae negotium, in reformanda instaurandaque ista Tibia mutila et veluti dimidiata; accidit demum praeter omnem spem et expectationem, vt singulari ipsius Naturae sospitatrix beneficio, durissimus quidam densissimusque Callus ibidem, per vacua spatia sensim internasceretur, qui elapsi iam ossis carioli vicem in posterum commodissime expleturus esset.

§. X.

Ita enim euenit, vt enato vix illo salutari callo, tanquam mendaci quodam ipsius ossis amissi simulacro, ipsum illud vulnus latissime hians, noua mox carne circumuestitum, pedentim solidesceret, ipsaque illa informis haecenus Tibia pristinae rursus formam ita quidem indueret, et ab altera adhuc sana et integra, hac tantum exigua differentia, distaret, vt illa generatim, non nihil exilior, anteriore autem sui parte, aliquantum planior, latior ac depressior animaduerneretur.

§. XI.

Ceterum enim utroque pede iuxta valebat ipse, vt nihil quidquam infirmitatis, aut doloris, perentisceret, quasi pedis debilitate inualidus; sed omnia potius munera ista commode exsequeretur, quae a sani hominis pedibus, nulla vnquam la-  
be



be infectis, vnquam expectari, aut desiderari possent. Tantis nempe nouus vigor debiles auxerat artus.

§. XII.

Hinc complures cum ipso Praefide, saepissime viderunt non sine iusta admiratione, illum ipsum quidem Centurionem ambulans, currentem, adscendentem, descendentem, equitans, imo saltans, fossas ipsas latissimas rapidissime transilientem, aliaque plura eiusmodi exercitia ludicra voluntariosque labores, mira profus pernicitate, peragentem, qualia vix ab homine pedibus valentissimo, videntique agilitate et corporis dotibus praestantissimo, ex ipsa aequitate, postulari poterant. Sed de his quidem haecenus.

§. XIII.

Ceterum autem non desunt etiam passim alibi huiusmodi singularia exempla, hanc ipsam nostram memorabilem Historiam luculentius illustratura et validius confirmatura: ex quibus tria tantum in medium iam adferre lubet, ipsi huic nostro exemplo haecenus accuratius enarrato, vtique simillima et convenientissima, quae ipsa, quam potero, in verba nunc conferam paucissima, ne profusa nimis loquacitas Lectoribus, legendo, iam forte fessis morosum pariat fastidium.

§. XIV.

*Primum ergo depromptum est e Thomae Bartholini, Viri summi, Actis medicis Hafn. Vol. III. Obs. I. pag. 2. Anno 1670. Filius rustici cuiusdam decennis, exulceratam sensit Tibiam, magnisque mox doloribus, Os ipsum Tibiae excidit, et prorupit, a genu, ad pedem extremum, quasi securi, dissecto pede morbido. Tentani emplastro quodam, quo*  
vitor,



utor, curationem, deo secundante, felicem. Extracta sunt istius emplastri beneficio, fragmenta ossium omnia residua, ut digitis euelli possent. Nam consolidato vulnere, ex vno foramine, quod relictum fuerat, ossicula exclusa. Puer exinde pedibus sanis incessit, Callo, ad manus meae crassitiem, enato, et vacuum Ossis Tibiae spatium occupante, vixque claudicantem aduertas. Vbi ipse Bartholinus sequens acutum scholium sapienter subiungit: *Carie exesam Tibiam et sphacelatam, a sana parte reliqua separari posse et excludi, alias vidimus. Natura quippe, in iunioribus praecipue, vegeta, amoliri a se conatur, quidquid corpori vel inutile, vel noxium. At callum eius magnitudinis succrescere potuisse, ut Tibiae defectum suppleret, rarioribus exemplis adnumerandum. Sed quid non a Naturae sollicitudine expectes, quae supra expectationem nostram et fidem, saepe exsurgit?* Haec ille: Ceterum Tibiae ossa denigrata et sphacelo corrupta, sic sua sponte excidisse, etiam obseruauit ipse Hippocrates noster, Lib. de Artic. pag. 835. Tom. II. vbi videndus imprimis in Commentario, Galenus. Conf. et Oribas. de Fractur. p. 74 sqq. et p. 113 sqq. in Collectione noua Veterum Chirurgor. Nicetae, per Anton. Cocchium, Florent. p. 1754.

## §. XV.

Alterum porro huic simillimum, defumptum est ex *Stalpart. van der Wiel, Obs. Chirurg. rarior. XCVI. Centur. I. pag. 391. Praestantissimus Chirurgus la Marche, retulit mihi, opiferas se manus applicuisse quatuordecim annorum adolescenti, cui diutius caries Tibiae os exedisset, ita, ut longiore mora, totum os corruptum sustulerit Chirurgus; cuius in locum, sensim accrescens Callus tandem ita successerit, ut absque fulcro, adolescens ille postea incesserit.* Vbi in subie-



subiectis ibidem scholiis, varia exempla paria ex diuersis Autoribus, praefertim autem ex *Carolo Batto*, huc maxime spectante, peropportune simul adducit ipse *Stalpartius van der Wiel*, quae ibi legantur.

§. XVI

*Tertium* denique, idque nouissimum, ex *Actis Edinburgensibus medicis*, Tom. I. No. 23. pag. 238. peti- tum, nobis suppeditat perillustris *Lib. Baro van Swieten*, Tom. I. *Commentar. in Boerhaav. Aphorif.* pag. 924. *Puellae septenni ossis Tibiae tota substantia abcessit, sic, ut circa genu, ossis sani pars relicta aequaret tantum trium digitorum transuersorum longitudinem; prope malleolos autem, vix dimidium huius longitudinis superesset. Renato tamen Callo, tanta ossis iactura restituta fuit eo vsque, ut affecto crure currere, saltare etc. potuerit, absque villo impedimento.*

§. XVII.

His vero non dissimilia varia exempla alia etiam relata leguntur apud *Scultetum*, *Armament. Chirurg.* Part. II. Obs. 83. pag. 196 sqq. *Diemberbroeckium*, *Anat.* Lib. IX. cap. I. pag. 519. quod maxime huc facit, et merito inde repetitum a *Cloptone Havers*, *Osteolog. nou.* pag. 150. porro apud *Lindanum*, *Medicin. Physiolog.* cap. XVI. pag. 874. *Bonetum*, Tom. II. *Med. septent.* pag. 352. ex *Bartholino*, quem et vid. ex parte, *Hist. anat. rar.* 85. Cent. III. pag. 171 sqq. item *Ballonium*, Lib. II. *Epidem. et Ephemerid.* pag. 273. aliosque plures, quos singulari industria collectos simul exhibet *B. Io. Benjamin Boehmer*, clariss. nostri Professoris et Fautoris honoratissimi dignissimus quondam Frater, sed praemature nimis

D

fato





fato vtilitati publicae subtractus, in erudita Commentatione *de Ossium Callo*, Lips. 1748. pag. 17 sqq. vbi inprimis notatu sunt dignissima bina illa recentiora exempla, huc potissimum spectantia, quae pag. 22. et 24. descripta leguntur. Plures vero eiusmodi mirandas Historias enati per ipsam Naturam, felicissime Calli, post elapsa, aut exemta ossa, praesertim brachii, adnotauit nouissime Celeb. *Cajetanus Tacconus*, in Dissertat. *de nonnullis Cranii ossiumque fracturis, eorumque coniunctione* etc. Bononiae, 1751. ne quid iam dicam de *Caesare Magato*, qui in egregio opere *de rara Medicatione Vulnerum*, Tom. I. Lib. I. cap. 15. pag. 80 sqq. vt et in altero Tomo, passim, de eiusmodi salutari Callo, loco elapsorum ossium, Naturae beneficio, opportune internato, docte ac perite tractauit.

### §. XVIII.

Ex quibus cunctis hactenus a nobis strictim breuiterque disputatis, nunc satis euidenter, opinor, patebit, quam *mira* omnino sit *ipsum Naturae solertia in reparandis quidem damnis corpori animato illatis*, quod demonstrandum nempe supra susceperamus, adeo, vt inde omni arte longe sit superior, recte quoque pronunciantem veteri illo Comico: *ἢ ἢ φύσις ἀπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ*, *Natura superat omne doctrinarum genus*. Eo certius autem ac manifestius exinde concludere licebit, quanto magis mirae virtutis et infinitae potentiae ipse sit supremus iste Naturae Conditor, director ac conseruator, qui per ipsa illa miranda Naturae opera, se quasi ipsis humanis sensibus ingerit, inculcatque, et conspiciendum, imo fere palpandum praebet, si ita quidem cum *Seneca* et *Cicerone*, dicere liceat. Adoremus ergo ante omnia, religiosissimo semper animi cultu, istum potentissimum Naturae dominum; deinde



deinde obseruemus quoque quam diligentissime, ipsius fidsi-  
mae seruae, nimirum Naturae, mirabiles et reconditas vias,  
easque, quantum per indicata subinde signa, licebit, circum-  
specte modesteque persequamur, quoniam, recte iudicante  
*Seneca, summum operae pretium est, Nosse Naturam.* Non  
enim Naturae a Medicis est imperandum, sed potius parendum,  
non obloquendum, sed obsequendum. Audiamus igitur, si  
placet, hic immortalis nostrum *Boerhaavium*, ipsum illum  
obsequiosum potius Naturae ministrum, quam imperiosum  
magistrum, in diuina illa Oratione, *de Honore Medici, ser-  
uitute*, quae tota quanta huc spectat, ad instar veridici cuius-  
dam Oraculi, grauisima haec verba, adytis paene digna, pro-  
fundentem: *Omnis Medici scientia, omnis inquam, doctri-  
na nititur solius Naturae.* Hanc sedulo obseruet ille eru-  
dientem Magistrum; *infelix, ubi tumidus se effert, quasi  
suo ex promptuario nata hic cognitione saperet: Natura hac  
in parte disciplinae medicae, vnice docet, casta vtens Anato-  
me ministra, et mox ibidem, non nullis interiectis: In sa-  
nandis tandem morbis, principatum obtinet Natura, quae  
vulnera pura cito consolidat, et ossa fracta, si minister Me-  
dicus peregrina sustulit, separata in situm naturalem repo-  
suit, atque aptata, quiescentia, et humecta, detinet. Ul-  
cera depurantur solo genito pure, solius Naturae sobole.  
Quid sanat inflammata? sola Natura febre resoluens, sup-  
purans, aut separans. Natos tumores vitalium humorum  
circuitu, si sanabiles, discutit, aut digerit. Ars Naturae  
propositum sequendo, calore, emollitione, et fricatione, ad-  
iuuat. Ars vias Naturae calcans, exercitata dextra, situm  
reddit pristinum disiunctis, et dum caute retinet quietam, ce-  
terum deinde Natura sola perficit; qua deficiente, reponit  
frustra Artifex: fractum semel os in cadauere non vnitur,*



AKT u 334

28



et quae ibi sequuntur in hunc sensum plura, plane aurea et ce-  
dro digna.

Haec ergo memori mente semper reposita teneant pruden-  
tiores Medici, et solertiores chirurgi. Interea, humanissime  
Lector,

*Haec si pernosces, parua perfunctus opella,  
(Namque aliud ex alio clarescet) non tibi caeca  
Nox iter eripiet, quin ultima Naturai  
Peruideas; ita Res accendent lumina Rebus.*



x250 1386

mt





II u  
334



B.I.G.

Farbkarte #13

EDICA INAVGVRALIS  
DE  
RAE SOLERTIA  
ANDIS DAMNIS  
IMATO ILLATIS.

Q V A M  
ESIDE  
WILHELMO  
LLERO

CONSILIARIO AVL. ELECT.  
PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.  
NONIENSIS SODALI,  
DV DOCTORIS

IMPETRANDO  
A. R. S. CIDIÖCCLXVI.  
L. Q. C.

TORVM EXAMINI SVBICIT  
DAVIDES ZOPFIYS  
CENENSIS  
AE CANDIDATVS.

TTEBERGAE,  
OLI CHRISTIANI DÜRRII  
DEMIAE A TYPIS.

